



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.  
vsque ad CXIV.

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1620**

Dispvt. CCVII. An futura contingentia ex solis causis naturalibus  
prouenientia ab Angelo cognosci possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)



ferenter cognoscant præterita & præsentia & futura.

4. Præterea. Sicut aliquid dicitur distans secundum tempus, ita secundum locum. Sed angeli cognoscunt distantiam secundum locum. Ergo etiam cognoscunt distantiam secundum tempus futurum.

Sed contra. Id quod est proprium signum diuinitatis, non conuenit angelis. Sed cognoscere futura est proprium signum diuinitatis, secundum illud Isai 12. Annūciat quæ ventura sunt in futurum. & scimus quod dii estis vos. Ergo angelis non cognoscunt futura.

Respondeo dicendum, quod futurum dupliciter potest cognosci. Vno modo in causa sua. Et sic futura quæ ex necessitate ex causis suis proueniunt per certam scientiam cognoscuntur, ut solem oriri cras. Quæ vero ex suis causis proueniunt ut in pluribus, cognoscuntur non per certitudinem, sed per coniecturam, sicut medicus præcognoscit sanitatem infirmi. Et iste modus cognoscendi futura adest angelis, & tanto magis quam nobis, quanto magis rerum causas & vniuersalia & perfectius cognoscunt: sicut medici, qui acutius vident causas, melius de futuro statu ægritudinis prognosticantur. Quæ vero proueniunt ex causis suis, ut in paucioribus penitus sunt ignota, sicut casualia & fortuita. Alia modo cognoscuntur futura in seipsis: & sic solius Dei est futura cognoscere; non solum quæ ex necessitate proueniunt, vel ut in pluribus, sed etiam casualia & fortuita. Quia Deus videt omnia in sua æternitate: quæ cum sit simplex toti tempori adest, & ipsum concludit. Et ideo vnus Dei intuitus fertur in omnia quæ aguntur per totum tempus, sicut in præsentia, & videt omnia ut in seipsis sunt: sicut supra dictum est, cum de Dei scientia ageretur. Angelicus autem intellectus & quilibet intellectus creatus deficit ab æternitate diuina. Vnde non potest aliquo intellectu creato cognosci futurum, ut est in suo esse.

Ad primum ergo dicendum, quod homines non cognoscunt futura, nisi in causis suis, vel Deo reuelante. Et sic angeli multo subtilius futura cognoscunt.

Ad secundum dicendum, quod licet intellectus angeli sit supra tempus, quo mensurantur corporales motus: est tamen in intellectu angeli tempus secundum successionem intelligibilium conceptionum: secundum quod dicit Augustinus 8. sup. Genes. ad litter. quod Deus mouet spirituales creaturas per tempus. Et ita

cum sit successio in intellectu angeli, non omnia quæ aguntur per totum tempus sunt ei præsentia.

Ad tertium dicendum, quod licet species quæ sunt in intellectu angeli, quæ est de se, equaliter se habeat ad præsentia, præterita, & futura: tamen præsentia præterita & futura non æqualiter se habent ad rationes. Quia ea, quæ præsentia sunt, habent naturam per quam assimilantur speciebus, quæ sunt in mente angeli. Et sic per eas cognosci possunt, sed quæ futura sunt, nondum habent naturam per quam illis assimilantur. Vnde per eas cognosci non possunt.

Ad quartum dicendum, quod distantia secundum locum sunt in rerum natura, & participant aliquam speciem cuius similitudo est in angelo. Quod non est verum de futuris, ut dictum est. Et ideo non est simile.

#### Explicatio articuli.

**P** R I M A conclusio est. Futura quæ ex necessitate eueniunt, certo ab angelis cognosci possunt in causa. Secunda conclusio Futura quæ eueniunt frequenter cognoscuntur ab angelo coniectura eo modo, quo medicus cognoscit ægritudinis alicuius euentum, ut sanitatem vel mortem: & tanto perfectius quanto perfectius, quam medicus cognoscit causam. Tertia conclusio, Futura quæ raro eueniunt, penitus ignota sunt angelo etiam in causa: & in seipsis a nullo alio intellectu: quam diuino cognosci possunt: ipse enim omnia habet præsentia in sua æternitate. Circa secundam vero, & tertiam conclusionem obseruandum est, eas intelligi non solum de effectibus contingentibus proueniens ex solo libero arbitrio, sed etiam de effectibus contingentibus & proueniens ex causis naturalibus per accidens concurrentibus: utroque enim modo euentus contingentes accidere possunt frequenter, & raro: nam ex vno concursu naturalium causarum potest aliquid euenire frequenter ex alio vero euenire raro. Eodem modo ex libero arbitrio interdum accidere potest aliquid raro, interdum etiam frequenter. nam & homines voluntate sua aliqua raro operantur, & aliqua frequenter: homo enim hoc aut illo modo affectus in hac, vel simili occasione frequenter certo modo operatur. Sed circa utramque conclusionem utroque modo intellectam erunt difficultates examinandæ.

#### DISPUTATIO CCVII.

An futura contingentia ex solis causis naturalibus prouenientia, ab Angelo cognosci possint.

*Hæc contingentia non posse ab Angelis certo cognosci, non pauci docuerunt, cap. 1.*  
*Euentus contingentes non pendentes villo modo ex arbitrio certo ab Angelo cognosci verior sententia est, cap. 2.*  
*Diluantur argumenta prioris sententia, cap. 3.*



*Hæc contingentia non posse ab Angelis certe cognosci, non pauci docuerunt.*

*Quæ dicam  
de futura  
contingentia  
in præ-  
sens quæst.*

**V**T quæstionem propositam melius examinemus, præmittendum est quæ nam dicantur futura contingentia ex causis naturalibus. Pro quo recolere debemus id quod supra disp. 64. c. 1. diximus, nempe posse aliquem effectum contingenter euenire nulla intercedente applicatione aut cooperatione liberi arbitrij, ex solo concursu naturalium causarum; de his effectibus ad quos liberum arbitrium concurrat vel tanquam causa, vel tanquam applicans causas, seq. disp. differendum est: eadem enim videtur utriusque ratio. Ex causis vero solum naturalibus effectus dicitur contingenter accidere, quoties concursus plurium causarum non est per se, sed per accidens, & ex illo nascitur effectus veluti si aliquis laborabat morbo ex causa aliqua intrinseca, quæ non erat sufficiens causa mortis, postea vero mutatione aliqua æris vel contumeliationis morbus vires sumat, & mors eueniat, dicitur mors illa contingens: quia ex concursu naturali omnino per accidens ortum habuit. Effectus autem hoc modo contingentes, aliquando eueniunt frequenter interdum etiam raro, nonnunquam vero æque ad utramque partem. De his igitur omnibus effectibus, seculum quavis cooperatione arbitrij, præsens controuersia intelligitur, an tales ab angelo certo cognoscantur: in qua etiam non omnes eodem modo sentiunt.

Nonnulli quidem existimant, hoc effectus antequam sint, ab angelo certo cognosci non posse, sicut nec effectus contingentes liberi arbitrij, si tamen frequenter eueniant, posse quidem coniectura aliqua præsciri, sicut contingit circa opera liberi arbitrij, quæ frequenter euenire solent. Hanc sententiam refert, & defendit ut probabilem Ricardus in 2. disp. 7. ar. 2. q. 2. imo & S. Thom. eam videtur amplecti in hoc articulo: loquitur enim de omnibus effectibus contingentibus, inter quos numerat ægritudinem, nisi quis ipsum probabiliter interpretetur, ut illud exemplum, solum ad iuxerit ad ostendendum, eosdem modo ab angelis cognosci futura contingentia ex libero arbitrio, sicut à medico cognoscitur euentus ægritudinis. Eadem etiam opinionem videtur tradidisse idem S. Doctor. 3. cont. gent. c. 16. 4. §. Fuit autem, & Ferrar. ibi. §. Possunt etiam, ubi solum docet, posse ab angelis multo melius, quam ab hominibus, hæc futura cognosci. An vero certo ab angelis cognoscantur, non definiunt. Ex hoc tamen non satis colligitur, hos Doctores in ea fuisse sententia, quam retulimus: illam tamen aperte docent Bonau. in 2. disp. 7. part. 2. art. 1. q. 2. Aegid. eadem dist. 7. quæst. 2. art. 1. & tractatu de cognitione Angelorum q. 10. Hermannus dist. illa 7. ar. 2. qui in hunc sensum S. Thom. interpretatur. Denique Dionys. Carth. ead. dist. 4. §. Porro Ricardus. Quinimo adeo eam veram existimat, ut oppositæ notam erroris inurat. In sententia itaque horum Doctorum, euentus naturales provenientes ex corporibus celestibus, qui nullo modo impediri possunt, certo ab angelis cognoscuntur, alij vero procedentes ex causis inferioribus, quæ ab alijs per accidens impediri possunt, sola coniectura sciuntur. Hæc opinio probatur primum,

qui etiam si huiusmodi effectus sint à causis naturalibus ad vnam partem ex seipsis in operando determinatis, tamen per accidens contingenter eueniunt, ita ut incerta, sint: ea vero quæ ex seipsis incerta & contingentia sunt, ab intellectu creato certo cognosci nequeunt; ergo nec huiusmodi euentus ab Angelis certo sciri possunt. Deinde, quia opposita sententia videtur data ab Schola Parisiensi; in quodam enim articulo, quem referunt Ricardus & Dionysius, dicitur, quod dixerit, nihil esse à casu, nihil à fortuna, sed omnia necessitate euenire; nam si à casu & fortuna aliquid eueniunt, qui fieri potest ut ab Angelo certo cognoscantur?

*Euentus contingentes non pendentes vilo modo ex arbitrio, certo ab Angelo cognosci, variis sententia est.*

**M**hi vero multo probabilior opinio semper visa est, quæ asserit, non solum motus orbium celestium, & occurus astrorum, verum etiam omnes euentus naturales, qui in materia inferiori sunt siue à celis siue ab alijs causis inferioribus naturalibus, ubi nullo modo a bitum intercedit, ita certo ab Angelis cognosci, sicut Ecclesiis Solis & Lunæ scitur à Mathematicis: illud quod dixi de effectibus, eodem modo assertum est de impedimentis eorum. Itaque Angelus non modo cognoscit futura, ægritudinem, pestem, vel aliquid huiusmodi, ex causis naturalibus &c. Verum etiam, an talis effectus alia causa naturali potentiori impediatur. Dixi autem, dum tamen liberum arbitrium non intercedat: Nam si aliqua causa applicanda sit ex libero arbitrio, ut potio, vel aliquid pharmacum, certo sciri non potest euentus ægritudinis. Hanc sententiam tradiderunt Albertus in 2. parte, quæst. 26. memb. 4. Durand. in 2. disp. 7. quæst. 2. num. 3. & dist. 7. quæst. 8. num. 9. Albertus in 2. dist. 7. quæst. 2. art. 1. q. 2. Et probabilem putat Ricardus loci allegato. Cæterum Thom. de argum. in 1. disp. 7. quæst. 1. art. 3. cum dicat futura, quæ non habent causam immutabilem & necessariam, non posse certo ab Angelo cognosci, non satis se explicat, quia non constat, utrum loquatur de causâ immutabili intrinseca, an ab extrinseca etiam, quales sunt multæ causæ naturales, quæ cum necessario operentur, extrinsecus possunt impediri. Eodem modo Marsilius in 2. quæst. 7. art. 1. 2. parte articuli post septimam conclusionem solum in genere docet, futura contingentia non posse ab Angelo cognosci.

Vnica vero ratione, meo iudicio, efficax hæc nostra sententia confirmari potest, quæ talis est: Angelus certo cognoscit futuros motus, & occurus astrorum & orbium celestium, nisi à Deo impediuntur, hoc est, Angelus nouit euidenter quomodo orbis celestes, & alia ex se ipsis, & concursu suo naturali mouerentur in futurum, & ubi occurrerent, nisi Dei voluntate libere impediuntur: Ergo ceteri effectus naturales ex causis naturalibus inferioribus futuri, eodem modo certo, & euidenter ab Angelo cognoscuntur: quia causæ inferiores non minus naturaliter & necessario ad suos effectus inclinant, & determinate sunt, quam orbis celestes & alia ad suos motus, & varios aspectus, a quæ concursus: nisi quod libes celestes, cum non habeant causam aliquam creatam

*Ferrar.*

*Bonauent.  
Aegid.  
Dionys. Carth.*



tam potentior, à solo Deo, alia vero causæ inferiores ab aliis multis etiam inferioribus impediri possunt. Habemus igitur, considerata saltem natura & inclinatione causæ secundæ, nisi aliunde sit impedimentum, non minus certo & euidenter, euentus naturales ab Angelo cognosci, quam motus & effectus futurorum aliorum. Huiusmodi autem euentus sunt pestis, agritudo, sterilitas, & alia id genus, quæ ex causis omnino naturalibus futura sunt. Ceterum quamquam effectus causarum inferiorum impediri possunt ab aliis causis naturalibus: nihilominus etiam quid ex tali impedimento futurum, aut non futurum sit non minus certo ab Angelo cognosci dicendum est. Bisariam enim causæ inferiores, vt causæ agritudinis, sterilitatis, &c. impediri possunt. Primum à libero arbitrio creato explicante causas naturales contrarias, cum potest, & hoc modo non asserimus, ab Angelo certo cognosci, quid futurum, vel non futurum sit ex tali impedimento: hic enim euentus in liberum arbitrium reduci debet, & de eo iudicandum eodem modo est, atque de aliis effectibus liberi arbitrij, de quibus sequenti disputatione dicemus, nisi postquam remedium, & impedimentum iam applicatum est à libero arbitrio ab eo, & amplius non pendet, tunc enim de eo idem iudicium esse debet, atque de impedimento naturaliter applicando. Deinde impediri potest effectus causæ naturalis, aut variari interuentu & oppositione solius causæ naturalis, nullo interueniente libero arbitrio, sed causis sibi naturaliter occurrentibus, & hoc modo docetur effectus naturalis contingens, quia talis occurrit per accidens, ac proinde contingens vocatur. Sic autem dicimus, certo etiam ab Angelo cognosci, quidnam ex impedimento causæ naturalis futurum vel non futurum sit, nec minus certum iudicium esse in Angelo de eo, quod ex occurfu causæ contrariæ oriretur, quam si ex sola causa naturali sine impedimento nasceretur: ita vt sicut certo cognoscitur Angelus, ignem combusturum, & ex tali constellatione pestem, aut sterilitatem futuram, atque humorum compositione agritudinem nascituram: ita etiam sciat, interuentu contrariæ constellationis, vel causæ materialis, aut effectricis talem effectum impediendum, vel non impediendum, nam sicut causæ naturales ex se necessariae inclinantur in vnam partem, sicut ignis ad calefaciendum, ita vt in hanc materiam, nisi aliquid aliud obstat, hunc effectum, & non alium operentur: ita etiam causæ impediennes naturaliter & necessario ita impediunt, vt non impedire non possint. Cum igitur Angelus euidenter sciat vires cuiuscunque causæ naturalis, & exacte inuicem conferat: certo aut euidenter cognoscet, quæ causa aliam superabit, & qua ratione: certo igitur sciet, quid ex tali occurfu futurum, aut non futurum sit. Nos vero ideo hos euentus nec euidenter, nec certo cognoscimus, quia virtutem & potentiam causarum non satis expendimus aut intelligimus: ideo naturales euentus contingentes non minus nobis incerti esse solent quam contingentes ex libero arbitrio, ita vt sola coniectura eos assequamur.

Et quod diximus de effectibus futuris ex causis naturalibus non cognoscendis, eodem modo asserendum est de effectibus futuris ex brutis animalibus, quæ licet cognitione & appetitu operentur.

Vesque in 1. p. tom. 2.

rentur, non minus naturaliter & necessario in obiecta feruntur, nisi impediuntur, quam causæ naturales non cognoscens: ideoque cum Angelus certo cognoscat omnia impedimenta futura ex causis naturalibus, vt dictum est: certo etiam cognoscet, quid bruta animalia facient, aut non facient. Hoc autem intelligimus esse verum, siue causæ naturales cognoscens ex sideribus determinentur & impellantur ad suas actiones, siue ex se ipsis: non quidem libere, sed naturaliter. Hoc dixerim, quia nonnulli concedunt, euentus futuros à brutis animalibus certo cognosci posse si bruta ad eos determinantur à sideribus: cum tamen vtroque modo eadem sit ratio. An vero hæc futura cognoscantur certo notitia propria, quam vocant intuitum sequi disputat, videbimus.

## CAPVT III.

*Diluuntur argumenta prioris sententia.*

**E**x eadem vero doctrina, qua nostram opinionem confirmauimus, argumenta contrariæ diluere possumus. Ad rationem priori loco adductam dicimus, effectus ortos ex causa naturali, nullo interuentu liberi arbitrij, etiam applicantis, esse omnino necessarios: tum etiam quando secunda causa naturali occurrente impediuntur, necessario impediuntur: sed nihilominus euentus, quam impedimenta huiusmodi dici contingunt, non quia non eueniant necessario, & cum determinatione naturali causæ ad vnam partem, sed quia per accidens est vnam causam ab alia impediunt: quare contingentiam horum effectuum, hoc est, posse esse, & posse non esse: ex parte rei facit, non ex parte modi efficiendi in ipsa causa, sumi debet, vt disp. 64. cap. 1. ex mente Henrici explicanti. Quocirca *Gabriel in 1. dist. 38. q. vnica, art. 1. in secunda parte art. & Cordub. lib. 1. qu. 55. dub. 4.* hos effectus non appellant contingentes, sed necessarios: eosque solum contingentes vocant, qui sunt aliquo modo ex libero arbitrio. Cum igitur hoc genus contingentia non tollat modum operandi necessarium & determinatum ad vnum causarum efficientium, vel etiam impediendum, fit vt tales euentus ab Angelo certo & absque vlla deceptione cognoscantur, quia naturam, & virtutem omnium causarum recte perpendit.

Sed obijciunt aliqui hoc modo, Si Angelus certo nouit huiusmodi effectus, sequitur illos non esse contingentes: quod videtur absurdum. Verum hæc obiectio nullius momenti est: non enim respectu Angeli, sed ex se ipsis tales effectus dicuntur contingentes, hoc est, talis naturæ, vt possint esse & non esse: neque Angelo dicuntur contingentes, quia sint incertæ veritatis, & Angelo ignoti. Quod quidem si in argumento hoc assumatur, negari debet: assumitur enim id quod probandum erat, & de quo nostra est controuersia.

Ad definitionem articuli Parisiensis, quæ posteriori loco asserabatur, respondeo, nihil in illo articulo contra nostram sententiam definiti: eo enim solum damnantur asserentes, omnia necessario euenire, vt dicebat Wicleffus, etiam quæ ex libero arbitrio procedunt. De causis vero naturalibus naturaliter ad opus determinatis nihil definit: imo ego non video, quo pacto secundum rectam fidem, & veram philosophiam dici possit, euentus causarum naturalium libere ad vtrum-



